

de, sed in ministerio semper fuisse, iuvenes tantum defunctis successissent, sacrorum & rituum prorsus expertes & ignari. Deinde mandare, excoriare, laurare, in arā imponere: laboriosa erant officia, nec nisi à firma & vigenti aetate præstari poterant. Idcirco Deus iussit Leuitas vsque ad annum trigessimū discere, atque audire, postea vsque ad quinquagesimū operari sacris & in ministerio versari: ab illa verò aetate instituire & docere alios, & per pagos & oppidula dicere. Præterea non omnes Leuitæ sacra faciebāt, quando quidem multos oportuit in omnem regionem Hebræorum dimitti, vt docerent, causas cognoscerent, & iudicarent. Sunt itaque iustæ causæ, propter quas Elcana licuit à tabernaculo procul habitare.

Id verò est annotatione dignum, hunc sanctum vitum dici ascendisse ad preces & sacrificia: non itaque ad forum, nundinas, ludos & spectacula, quibus de causis in Papatu plerumque suscipiuntur peregrinationes, quæ sacræ ab eis vocantur. Testimonium hoc verum est. Verùm illas, Vermili, non sacras, sed profanas peregrinationes appellamus: rei namque abusum, ab vsu legitimo separare didicimus. Quæ deinceps sequuntur animaduersione indigent. Nec imperitè annotatur, inquit, expositores Hebræi, hoc loco, prius adorationis, quam sacrificij mentionem fieri. Etenim adoratio preces comprehendit, quæ omnibus sacrificiis multò sunt priores. Annotatione ad marginem etiã potiores habet. Vox Hebraica *Sabbat* Latine est seipsum prosternere: quia tum demum verè adoramus, quando nos ipsos Deo prorsus subiicientes in eius iustitiam & bonitatem intuemur, atque horremus peccatorum nostrorum multitudinem & grauitatē. Sita verò est adoratio in eo, vt bonitatem Dei commendemus ab eo petentes omnia bona: de quibus, vi contigerint, illi gratias agamus, eius legibus atque voluntati nos omnino subiicientes. At dicit quispiam, reges & principes ad hunc modum adoramus, illorum virtutes commendantes, & ab eis perentes, quibus indigemus, & gratias illis agimus, cum aliquid beneficij contulerunt, ac denique mādatis, legibus, & præceptis eorum nos profite-mur astrictos. Fateor, sed inter hæc plurimum est discriminis. Nam principes quidem suscipimus vel adoramus, sed tantum vt Dei ministros: quos item laudamus. Verùm ita vt omnis eorum laus in Deum referatur, & vt intelligamus quicquid illis est virtutis, roboris, & bonitatis, id eos ex se non habere, sed accepisse diuinitus. Deinde ab eis non petimus nisi ciuilia bona, quæ tantum suppeditari ab eis possunt, non autem spiritalia, vel æternam vitam, quæ in eorum potestate sita esse non licet credere. Ad hæc ciuilia eos rogamus, statuendo nihilominus apud nos, quicquid ab illis datur à Deo per illos nobis dari, qua eadem ratione illis gratias agimus. Obedimus item illis, at non citra exceptionem: Nam si quid imperauerint contra legem Dei, minime parendum esse censemus. Ascendebat igitur, vt adoraret, deinde vt sacrificaret. Sacrificij autem ratio latè patet.

Nam est vt ab Augustino describitur de ciuit. Deilib. 10. cap. 6. omne opus quod facimus ad id, vt sancta societate Deo adhareamus. Verùm hoc loco vocabulum sacrificij proprie ad victimas refertur. Ab eo verò, quod Rabini annotarunt, prius orationis quam sacrificij mentionem fieri Augustinus minime dissentit, 89. vbi ait: Nemo carnem Domini manducat, nisi prius adorauerit. Siquidem fideles antequam Christi corpus fide & spiritu percipiant, illud pro se affixum cruci, & mortuum, supplices adorant, atque ita eius adoratio ritum communionis antecedit. Hæc ille. Nos verò nodum in scirpo, quod aiunt, non quarimus: sed cum merito non nihil mali de isto homine suspicemur, monendum lectorem censuimus, siquidem preces tempore duntaxat sacrificiis priores intelligat, tanquam sint illæ velut dispositio aliqua idonea ad peragendum sacrificium præmittendæ, adnotationem illam admitti posse, at si etiam potiores haberi velit, quod glossula loquitur, omnino respuendam. Non possum autem non admirari hominem, qui vna cum Caluino tantopere meritis & operibus deroget, plus orationi nostræ, quam Christi Domini carni & sanguini, id est sacrificio tribuere. At hic, vt ait, sacrificij vocabulū pro brutis, victimis & hostiis antiquæ legis, id est, agnis, hædis, & bobus accipitur. Num igitur & de illis agebat August. cum scriberet, non ante carnem Christi in cibum assumi, quam à conuiuia adorata esset? Non autem sic illa fide & spiritu percipitur, quod ait, vt re interim abstineamus, quod tacuit: alioquin fallā fides: sed verè quod credimus, hoc manducamus, sitque sacrificium precibus omnibus anteponendum. Verùm esto, de victimis tantum sis intelligendus; qua fronte audes iisdem preces & orationes præferre? Nam, vt opinor, non nascuntur victimæ, sed cum sint animalia rationis quidem expertia, hominibus autem ad varios vsus concessa, Deo postmodum religione consecrantur. Quæ si nihil habent præterea quam vt adipem & carnes comburendas exhibeant, & nidore ærem inficiant, non video profectò qua ratione ad Dei cultum magnoperè pertineant. At si Dei mentem consiliūque spectes, rationemque, qua id fieri instituerit, requiras: tum manifestè deprehendes, illis sacrificiis, quæ precibus postponenda putas, prius Patribus Christum representari voluisse. Interim namque dum ille per se accederet, omnium votis abundè satisfactorus, illæ hostiæ fide operabantur, precèsque offerentium ratas faciebant. Atque ita sacrificia, non pro merito orationis adorantium Deo grata erant, sed preces potius pro merito sacrificij, quod erat futuri typus & symbolum, acceptæ erant. Sed magis est, vt opinor, quando quidem apertè non se prodidit, vt priores tantum voluisse interpretemur. Argutias tantum illas Rabinorum contemnamus. Neque enim sine prece sacrificium fieri didicimus. Nam & ipsum quoddam genus orationis est: mylticè autem peragitur, nec quicquam sanæ mentis ab adoratione discluserit. Nam licet sine sacrificio sapius adorare contingat, sacrifici-

Notatur
abusus sa-
crarum
peregrina-
tionum.

Adoratio
quid sit.

Quo pacto
liceat prin-
cipes adora-
re.

Examina-
tur Veritij
Commenta-
rius.

Resellitur
cum suis
Rab. Vermi-
lius, non e-
nim sunt
preces sacri-
ficiis potior
res.

Sacrificium
preces ratas
facit, non
preces sacri-
ficium.